148.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-primo, mensis Martii, anno Domini M. DCC. XLIII.

M. HYACINTHO-THEODORO BARON, *filio*, Doctore Medico, REGIS Exercitûs in Bavariâ Medico Primario, Præside.

An ut sanandis, sic & præcavendis pluribus Morbis Aquæ novæ Minerales Passiacæ?

I.



AQUA vulgatius nihil, nihil aquâ utilius. Fluidum illud ubique occurrit. Vastissimum ipsi receptaculum præbet Mare. Tenuissimè divisum liberè fluitat in aëre. Ibidem in nubes collectum ventorum obsequitur imperio, in nivem, imbres, grandinem aliquando resolvendum. Montium cacuminibus percolatum ex aëre, specus subit subterraneas. Ex his quâ datâ portâ fontium specie erumpit, rivulorum formâ effluit, sensimque crescens eundo maxima constituit flumina, terrarum tractus ingentes ab origine, ad usque Neptuni sedes peragrantia; dissitos ab invicem populos dulci adeo societatis vinculo jungentia, plagis quas alluunt fertilitatem, urbibus quas præterfluunt pulchritudinem, annonam, munditiem inferentia. Aquæ be-

neficio Vegetantia aluntur & crescunt, vivunt Animantia vigentque; inanimata corpora vel solidissima illud ab aquâ tenent quod consistant, ejusque tanquam glutine suæ sibi cohæreant particulæ. Chymicis ignibus tractata quælibet mixta aquam fundunt copiosam. Potus singulos exactiori subjicias scrutinio, singulorum longè maxima pars phlegma est, singulos apposité nominaveris aquam diversimodè adulteratam. Potentissima artis Spagyricæ menstrua suam ab aquâ mutuantur energiam, hinc oleum Calcanthi ita exutum phlegmate ut in crystallos coeat impunè tetigeris; hinc illud axioma, salia non agunt nisi dissoluta. Aquam etsi non universale at saltem princeps Menstruum non immeritò dixeris. Solvendi quâ pollet aqueum elementum virtuti, acceptos debet soterios fontes genus humanum. Enim verò dum Aqua intimos terræ recessus vago cursu perlustrat, Salium diversi generis, Pyritarum, ferreæ indolis Minerarum, Terrarum non unius speciei particulas abradit; indeque medicatas vires maximo ægrorum mortalium commodo sibi arrogat. Tantus est fontium hujusmodi salubrium in toto orbe numerus, ut nulla ferè sit Gens quæ præstanti adeo Nympharum munere non gaudeat. Nec est quod felix supra cæteras telluris plagas Gallia, illud suis incolis parciùs concessum esse beneficium conqueri possit. Imò potiùs est unde ulteriorem vicinis populis invidiam moveant suæ & in hac re divitiæ. 60 ad minimùm in hoc florentissimo regno numerantur Aquarum mineralium scaturigines. Ultimum has inter non tenent locum detectæ à 24 circiter annis Acidulæ Passiacæ. Non procul à Lutetiâ Occidentem versùs assurgit collis, tum decurrentibus in infimâ valle Sequanæ aquis, tum gratissimo meridiani Solis aspectu, tum puritate aëris, tum Bononiensis sylvæ viciniâ commendabilis. Mons ille amœnissimus impositum dorso sustinet vicum ita dictum Passiacum, villulis constantem pluribus elegantissimis, quarum una, ut cæteris seu hortorum læte virentium, suaveque olentium ornatissimo cultu, seu camporum latè undique patentium pulcherrimo prospectu non inferior, sic & iisdem, salutiferis quibus irrigatur fontibus longè est superior. Ibi quatuor diversis osculis è terræ sinu prorumpunt totidem jugis aquæ rivi, Marcassitarum quibus totus interior conflatur clivus quasque fluendo præterlabuntur spoliis ditissimi. Suus rivo cuilibet proprius est ortus, proprius per montis viscera decursus, propria vis mineralis virtusque medica. Communis est omnibus aqua crystalli instar pellucida, nec ullâ tempestatum vicissitudine obscuranda; sapor omnibus inest ferreus, pungens, & quodam modo vinosus; ferreum omnes spirant odorem; omnes aquam fluviatili paulò graviorem volvunt. Hi quatuor rivi non aliis inter se nominibus differunt quàm primi, secundi, tertii, & quarti. Primus nempè dicitur ille qui majorem ferri copiam sinu gerit, secundus qui minorem, qui minorem adhuc tertius, qui tandem minimam quartus nuncupatur. Aperiendi simul & adstringendi facultate singuli pollent, eximiamque in profligandis quamplurimis morbis chronicis merentur laudem. Non efficaciorem ullibi inveneris Medicinam adversùs turpes illas cutis fœditates, Tineam, Scabiem, Lepram, Herpetem, Lentiginem, Impetigines; non aliundè tutiora suo infortunio solatia repetent Hypochondriaci; non histericis affectibus valentiora opposueris incantamenta; non arte aliâ pertinaces viscerum infarctus feliciùs resolveris; non resolutis artubus agendi vim ita certò restituent conjuratæ Pharmacopœorum pixides; non alio potu amissum promptiùs simul & tutiùs recuperabunt tonum laxiores ventriculi fibræ; non aliter spes prolis penè desperata major revivisct; non metuendo minùs Styptico nimia compesces sanguinis aut seminis profluvia; non fluor albus, non pallidi virginum colores, non menses à longo tempore suppressi præstantius in triplici regno obtinent antidotum. Conducunt & in Hydrope, in variis alvi fluxibus, sed præsertim hepatico, in motibus convulsivis, in tremore artuum, in cordis palpitatione, in vomitionibus, in ictero, in asthmate, in rheumatismo, in arthritide. Quæ quidem omnia etsi fontium vici Passiaci recentiorum

famam ferè cumulent, nullo tamen nomine magis ſunt commendabiles quàm quòd ad prophylaxim plurium morborum egregiè conveniant. Minùs forſan nota inſignis adeo illarum proprietas, ſed non certa minùs. Et ſanè id omne ad præcavendos morbos tanquam aptiſſimum meritò collaudatur, quod debitum fibrarum elaterem ſervat, expeditum liquidorum per vaſa motum fovet, ſecretiones atque excretiones promovet, appetitum excitat, ingeſtorum concoctionem juvat, ſenſus acutiores reddit, verbo cujus ope functiones omnes tùm animales, tùm vitales, tùm naturales alacriter & cum oblectamento exercentur.

II.

DUPLEX eſt agentis medici munus; alterum præſentes curare morbos; alterum futuros antevertere. Quorum poſterius etſi priori multò ſit facilius, utrumque nihilominùs parem in medente poſtulant cognitionum amplitudinem. Quiſquis adeo præclaras artes agitare meditatur, non modò alimentorum & medicamentorum vires apprime noſcat oportet, ſed & inprimis quid ſit ſanitas, quid morbi, quid illorum cauſæ. Morbus & ſanitas totâ ab invicem differunt diametro. Alterum eſt alterius negatio. Sanitatem conſtituit liber & æquabilis fluidorum per omnia & ſingula corporis vaſa itus ac reditus. Ille tandiu adeſt, quandiu nec copiâ, nec defectu, nec lentore, nec tenuitate, nec craſſitie, nec acrimoniâ peccant humores, quandiu vaſa illos deferentia bene temperatam obtinent ſuorum parietum flexibilitatem, ita ut nec ſe molliùs contrahant, nec vividiùs præ nimio robore urgeant humores. Ita ſe habente corporis machinâ tum ex parte ſolidorum, tum ex parte fluidorum, placido & conſtanti curſu per univerſas partes defertur ſanguis, laudabiles variis in incerniculis dimittit humores, ſuum viſcera quælibet egregie abſolvunt penſum, agilis & expeditus muſculis ineſt vigor, ingeſtis quantitate reſpondent egeſta, vigent ſenſus, leniter obrepit ſomnus, denique totus homo ut ad laborem eſt promptiſſimus, ſic a labore reſurgit alacrior. Cognitâ ſanitatis cauſâ, contrariorum lege noſcitur unde ſuam morbi trahant originem. Varias expende morborum ſpecies, illorum ſcrutare cauſas. Ibi lentiori paſſu progredientes ſuccos reperies, ibi penitus moratos offendes, hìc vaſa occurrent laxiora, flaccidiora, nimio liquorum prementium pondere oppreſſa; illìc canales ultra modum tenſi, pertinaciter conſtricti, fluidis appellentibus tranſitum negantes aut anguſtantes. Alibi ſpiſſi nimiùm & fœculenti humores ſibimet ipſis viam impediunt; alibi omninò retinenda foras protruduntur; quandoque ſalſus & pungens humor vaſa ſtimulat & erodit; aliàs ejicienda aut retinentur prorſus, aut corpori ſegniùs vale dicunt. Vides in his omnibus toties morborum prædam fieri humanum corpus, quoties abnormis fit humorum per vaſa motus progreſſivus. Iſta motuum in animali œconomiâ perturbatio, generalis eſt omnium morborum cauſa. Adeo multi numero morbi quibus miſeri affliƈtantur mortales nomine quidem, non reipsâ differunt. Ægrum ſuffocat Angina, Pleuritis torquet, Phrenitis exagitat, angit ventriculi inflammatio, deturpant Variolæ, febris Petechialis infeſtat, occœcat Ophthalmia, vexat Nephritis, pungit Hepatitis, inteſtinorum phlogoſis diſcruciat, Peripneumonia opprimit, urit ardens febris? Idem ubique morbus eſt, eadem ubique cauſa, ubique ſanguinis adeſt Staſis in vaſculis capillaribus, ubique eandem tragœdiam ludunt actores iidem; ſed diverſus ubique ſcenæ locus eſt. Non diſpar chronicarum paſſionum ratio eſt. Ut a communi radice ſurgunt omnes acuti morbi, nempe a nimiâ vaſorum rigiditate, fibrarum tenſione, ſtricturâ & ſpaſmo, ſic chronici ab earundem atoniâ, flacciditate & quaſi reſolutione tanquam ab eadem matre ortum ducunt. Ex hac enim vaſorum torpedine ſubſequitur liquidorum commoratio, quæ pro variis quas occupat ſedibus ſaporibuſque alienis quos in humoribus excitat & evolvit cachexiam, hydropem,

ſcorbutum, luem veneream, affectus cutaneos, varios alvi fluxus, Paralyſes, phthiſim, arthritidem, rheumatiſmum, aſthma, hiſtericam paſſionem, malum hypochondriacum, tumores varios &c. ingenerat. Duos itaque morbos primarios, principales & vere idiopathicos meritò diſtinxeris atoniam ſcilicet & ſpaſmum. Cæteri omnes horum ſunt effectus & ſymptomata. Quicquid moliatur medicus curationi morborum addictus, niſi excedentem fibrarum elaterem deprimat, aut languentem & quaſi ſopitum exſuſcitet, infelici prorſus ſucceſſu lentos attenuare humores, inſpiſſare tenuiores, acriores mitigare, catullientes compeſcere, fugientes retinere, morantes propellere enitetur. Is itaque tantùm ſe veram corpus humanum à morbis vindicandi methodum callere glorietur, qui totius animalis œconomiæ mobile primum, alternam nempè vaſorum ſyſtolem & diaſtolem ita prudenter noverit modulari, ut inoffenſo pede vaſa ſingula permeent humores. Et revera quonam conſilio adeo ad tuendam valetudinem commendatur puri aëris inſpiratio? quonam conſilio tot circa eſculenta & potulenta ſanciuntur leges, tot circa ſomnum & vigiliam, tot circa quietem & motum? Cui bono omni ope atque operâ moliendam eſſe excernendorum expulſionem ſuadetur? Cui bono animi pathematibus frænum eſſe injiciendum præſcribitur? eo tantum fine ſalubres hujuſmodi regulas tradit Hygieine, quòd iiſdem ſervatis, ſervari & expeditum conſtantemque ſanguinis motum â quo pendet ſanitas certò ſciat.

III.

QUID in fugandis præcavendiſque morbis valeant aut non medicati fontes detegere nequicquam contendis, niſi in horum naturam penitiùs introſpexeris. Quod ut aſſequaris, quibuſnam illi conſtent elementis ſcrupuloſe eſt inquirendum. Non levis profecto labor, nec leves ſuſcipienti offert errores debellandos. Vulgaris eſt medicorum opinio totidem aquis Mineralibus ineſſe poſſe corporum ſpecies, quot ſunt quæ ſinu ſuo recondit Tellus. Hinc dari aquas Auro, Argento, Plumbo, Stanno, Antimonio, Arſenico, Nitro, ſale Ammoniaco conditas aſſerere non verentur. At Chymiam conſule. Ab eâ diſces nullum aquâ ſolvi poſſe metallum, quod peculiari ſibi menſtruo in ſal ſeu Vitriolum non fuerit priùs converſum. Ab eâ diſces nulla aut Auri, aut Argenti, aut Plumbi, aut Stanni, aut Antimonii, aut Arſenici vitriola terraquei globi viſceribus contineri. Ab eâ diſces ſale Ammoniaco, artis fœtu non naturæ, fœtas eſſe non poſſe naturales aquas. Ab eâ diſces Nitrum ex putrefactis tum vegetabilibus, tum animalibus ſupra terræ ſuperficiem efformatum vim ſuam ſalutiferis fontibus impertiri haud quaquam poſſe. Communis eſt aquarum mineralium in calidas ſeu Thermas & frigidas ſeu Acidulas diſtinctio. In prioribus ſulphur, in poſterioribus potens in primis acidum eminere vulgò, ſed perperam, contenditur. Solus adhuc inter calidos fontes *Aquiſgranenſis* Chymiæ experimentali ſulphur præbuit. Ex frigidorum cenſu ſi quoſdam exceperis qui nullam aut acidi, aut Alkalini ſalis notam exhibent, nullus eſt quem non æquiori jure Alkalinum appellaveris. Nullus quippe eſt qui inſtillato Oleo vitrioli non ebulliat: nullus qui tincturas violaceas, in virides eleganti Metamorphoſi non permutet: nullus qui coagulum à Lacte non arceat: nullus qui factâ ſui exhalatione, pugnantes cum acido, cum eoque in ſalem medium abeuntes non proferat reliquias. Calidis quoque fontibus ineſt alkalinum illud principium. Neque ex hac tantùm parte ſibi conveniunt frigidæ & Thermales aquæ. Spiritus æthereus, tenuiſſimus, ſubtilis admodum indolis utrarumque veluti anima eſt, mirabilemque his & illis inſpirat virtutem. Ochra pariter quædam flaveſcens ſeu vera Martialis terra commune utrarumque elementum eſt. Non aliter ergo differunt ab invicem Thermæ & Acidulæ, niſi quòd hæ frigidæ ſint, illæ verò tepentes è ſuis ſcatebris prodeant. Ad frigidarum claſſem pertinent Aquæ novæ Minerales Paſſiacæ. De illarum contentis varii varia fingunt ad libitum. Alii nitrum, alii terram Calcariam, quidam Gypſum, non-

nulli Cuprum iis contineri arbitrantur. In eo consentiunt omnes, ut ferrum tanquam illarum virtutis autorem præcipuum salutent & agnoscant. At quânam sub formâ iisdem inhæreat rursum dissentiunt. Illi sub sulphuris nescio cujus martiati, hi sub Martis tenuissimi larvâ delitescere existimant. Verum dixeris si sub vitrioli specie contineri asseras. Sola namque ratio est quâ ferrum pelluciditati aquarum possit non obstare. Præterea non modò gustu stypticæ sunt & atramentosæ aquæ novæ Passiacæ (certo vitrioli indicio) sed & purpureum colorem ab insperso Gallarum pulvere induunt, non secus ac vitrioli martis solutionibus accidit. At quonam acido ligatur ferrum in aquis novis Passiacis? Res altiùs repetenda. Si diutiùs asserventur aquæ nostræ ex limpidis turbidæ, ex odoris inodoræ evadunt, pelliculam splendentem iridis more variegatam ad summam sui superficiem emittunt, ferreumque fundo vasis apponunt crassamentum. Si solis æstivi caloribus objiciantur, aut ardenti foco superponantur, multò citiùs mox dicta mutatio peragitur, nec sine notabili effervescentiâ, multisque sursum tendentibus bullis aëreis. Sedato tumultu, ferroque penitus repudiato, aqua iterum fit pellucida, sed tunc gustu leviter tantùm salsa est non vitriolica, additoque pulvere Gallarum concolor remanet. Si distillentur aquæ novæ Passiacæ, nulla liquorem obducit multicolor pellicula, sed fibræ aliquot fulgentes aquæ summum obtinent, quæ sensim factæ crassiores junctæque invicem fundum petunt, ibique veras efformant crystallos. Peractâ distillatione aqua Recipiente contenta saporis odorisque est expers, nec ullâ admixtione mutabilis. Residuum componunt plures sequenti ordine dispositæ substantiæ. Ferrum utpote gravius Cucurbitæ fundum occupat, hunc proxime excipit pulvis albus tenuissimus, cui immediate incumbunt Crystalli splendentes & pellucidæ, quas tandem obtegit massa quædam albicans, gustu salina, humidi aëris contactu facile in deliquium solvenda. Jam vero si aquæ communis affusione id omne ex hac massâ salinâ abstrahatur quod solubile est, liquor percolatus & leni igne ad siccitatem usque exhalatus, distillationis ope sursum evehit spiritum acidulum, odorem accensi sulphuris exacte referentem, verum denique *spiritum sulphureum volatilem*, qualem ex sale tartari deflagrantis sulphuris vaporibus saturato, simili arte extrahit Stahlius. Absolutâ distillatione pulvis remanet albicans, saporis aliquantulum amari quem si aquâ rursus solutum percolaveris, terra alkalina supra chartam bibulam remanet, trajectum autem liquorem exhalando genuinas salis Glauberi crystallos obtinebis. Quibus semotis & ulteriùs continuatâ exhalatione, sal prodit figurâ cubicum, gustu salinum, in igne crepitans, verbo ipsissimum sal marinum. Aqua tandem superest flavi coloris, tactu pinguis, iteratâ exhalatione intensiùs coloranda & inspissanda, gravem & bituminosum odorem spirans, nullos jam crystallos editura, saturatissimâ salis marini solutione olei mineralis compedibus intricatâ constans, à bitumine non aliter liberanda quàm si injectis ovorum albuminibus decoquatur, tuncque iterum crystallos cubicas datura, instillato oleo vitrioli, spiritus salis subtilissimi vapores emittens, cum eodem distillata verum minerale sulphur efformatura.

Nunc veniunt examinandæ crystalli pellucidæ alterum residui stratum efformantes. Porro has esse sal quoddam compositum seu neutrum quod *Selenites* vocatur, multa demonstrant. Scilicet constantem usque figuram referunt illæ crystalli; leni sed diu continuato igne in aquâ tandem solvuntur; solutioni additæ aliquot olei tartari per deliquium guttulæ maximam terræ copiam dant præcipitem acidis mineralibus facilè iterum solvendam; eædem crystalli in Crucibulo ignito cum pulvere carbonum projectæ & fusæ, in *hepar Sulphuris* convertuntur; simili modo tractatæ cum Nitro fixo massam produnt quæ calenti aquâ soluta, dein plurimâ quâ turget terrâ percolatione liberata, tandemque exhalata Tartarum dat vitriolatum. Quoad ferrum imam residui partem constituens, etsi primâ fronte rubiginosum appareat, perfectum tamen est omnesque metalli dotes obtinet. Nempe ab acidis cunctis mineralibus solvitur fa-

cillimè, iſtaque ſolutio cum pulvere Gallarum nigreſcit, nitro fuſo ſuperinjectum ſimul fulgurant, ſalibus per calcinationem ſpoliatum Magneti conjungitur. Quod cùm ita ſit, nullus jam dubitandi locus ſupereſt, quin ipſi vitrioli formam conciliet ſpiritus ſulphureus volatilis ſuprà memoratus, illudque aptiſſimum reddat ut in Aquis noſtris ſalvâ illarum limpitudine ſuſpenſum detineatur. Quemadmodum autem ſolutio vitrioli martis vulgaris ſolâ alkalinæ cujuſvis ſubſtantiæ additione turbida fit & lutea, ſenſimque dimittit ochram flaveſcentem, metallum ſcilicet quo vitriolum pro parte conſtabat; ita & mutationes quæ in aquis novis Paſſiacis tum ſponte tractu temporis eveniunt, tum caloris ope in evaporando aut diſtillando contingunt, non ab aliâ cauſâ pendent, quam quòd terra quædam alkalina iiſdem aquis contenta occurrit tandem acido vitrioli elemento, cum ipſo nubit, Martem è ſuâ ſede deturbat, paucis vitriolum deſtruit. Inde facillimè redditur ratio cur ſimulac immutantur aquæ noſtræ oboriatur fermentatio? Cur fiant opacæ? Cur ſedatâ fermentatione ferroque penitus delapſo amiſſa redeat pelluciditas? Sed omnis pereat odor ſaporque vitriolicus. Nec gratis fingi exiſtimes aquas noſtras ſubſtantiæ alkalinæ eſſe participes. Præterquàm enim quòd tincturæ violarum viridem inducunt colorem, præterquàm quòd lacti admixtæ illud à coagulo vindicant, præterquàm quòd ferrum ex ſolutione vitrioli vulgaris agunt præcipitem; pulvis albicans quem in reſiduo contineri notavimus terra quædam eſt tenuiſſima cum acidis cujuſcunque generis fermenteſcens & ſpeciatim per acidos regni mineralis liquores facilè ſolvenda; terra itaque eſt verè abſorbens & alkalina.

Ex dictis hactenus intelligitur aquas novas minerales Paſſiacas vim ſuam repetere à contentis in ſe vitriolo quodam nativo, ſale Glauberiano, ſale marino, oleo quodam minerali, terrâ alkalinâ & *Selenitide*. Quæ omnes ſubſtantiæ in maximâ aquæ puriſſimæ copiâ ſolutæ liquorem conſtituunt fovendæ ſanguinis & humorum per omnia & ſingula corporis vaſa motuum æquabilitati maxime idoneum.

IV.

UNANIMI Medicorum conſenſu ita comprobatum eſt ſimplicem aquam valetudini tùm tuendæ, tùm reparandæ eſſe accommodatam, ut inter eos pauci ſint qui Medicinæ univerſalis titulo hanc jure inſigniri poſſe non fateantur. Et verò quid eſt quòd argenteus ille liquor mundo coævus, cunctis animantibus ad vitam fovendam ultrò conceſſus à naturâ, non præſtet beneficii. Nihil in rerum naturâ Aquæ potu præſtantius, ſive villos molles flexileſque fingere, ſive ſanguinem & humores debitè fluidos ſervare opus ſit. Aqua ſitim ſedat, appetitum acuit, alimentorum diviſioni in ventriculo egregiè famulatur, ipſorum concoctionem promovet, diſtributionem juvat: chylum fluidiorem efficit, blandum, dulcem, non æſtuoſum, non acrem, non irritantem, unde ſanguis puriſſimus facili lapſu per vaſa diſcurrens. Aqua ſalubritatis vehiculum eſt quo digeſtionis reliquiæ diluuntur, quo viſcidus ac tenax mucus ventriculi & inteſtinorum tunicas obducens optimè detergitur, quo ſaliva, ſucculſque gaſtricus & inteſtinalis uberiùs cibis admiſcentur. Aqua fluidorum præpedit excandeſcentiam, eadem à morâ, lentore, ſalſedine præſervat; corpori refrigerium præbet, præbet ſanguini & humoribus vehiculum quo poſſint vaſculorum tenuiſſimorum anguſtias liberè tranſgredi. Aqua alvum ſervat mollem ac liquidam, tardiorem ſolvit, urinæ vias expedit, eaſque eluendo & abſtergendo calculi cohæſionem impedit, tranſpirationem omnium excretionum ſaluberrimam mirificè adjuvat. Aqua putredinem arcet futuram, ſerpentem ſiſtit, dolores mulcet, ſpaſmos lenit, dura emollit, laxat tenſa, acria involvit, exuperantia in humoribus ſalia diſſolvit, ſolutaque ſecum foras abripit. Eſt denique aquæ tanta ſalubritas ut Hydropotæ cæteris qui vino aut fermentatis liquoribus indulgent & ſaniores & longæviores, quin etiam corporis viribus plerumque valentiores ſint. Illud quoque animantium exemplo confirmatur, quorum robuſtiſſima ſicut & debiliora, non alio quàm aquæ potu ſitim ex-

tinguunt, intereà tamen morbis rariùs tentantur quàm homines. Cùm itaque adeò magna sit simplicis aquæ ad firmandam valetudinem utilitas: quid non ipsi salubritatis accedet ab admixtione corporum quæ seu ad arcendos, seu ad fugandos morbos esse efficacissima usu quotidiano deprehenduntur? qualia sunt sal commune, sal Glauberianum, & vitriolum Martiale. Salis communis adeò eximia virtus est ad tuendam sanitatem, ut ipsum tanquam vitæ suæ tutamen sponte appetant omnis generis animantia. Hinc universale ciborum condimentum est, & meritò quidem; potentissimum enim est putrefactionis antidotum. Cibis itaque permixtum in ventriculo nimiam illorum fermentationem & putrefactionem retundit, vehementioremque cæterorum corporis humorum æstum cohibet. Prætereà sanguinem à coagulo præservat, & eundem coccineum ac purpurascentem reddit; fibras motrices & canales excretorios ex iis compositos suis aculeis leviter proritat, efficitque ut non modò sanguinis & humorum celerior fiat progressio, unde partes crassiores atteruntur, & cum fluidis meliùs permiscentur, sed & ut saluberrimæ secretiones & vitæ perquàm necessariæ rerum alienarum excretiones, quarum ope ipsum simul è corpore expellitur feliciùs succedant. Sua quoque sali Glauberiano facultas inest salutifera. Mirabile illud concretum nerveas ventriculi & intestinorum fibras amaritudine suâ leniter titillando famem excitat, sordes quibus primæ viæ inquinantur everrit, fæcibus exitum parat, facilem chylo viam sternit, bilis separationem adjuvat, urinas ciet, &c. Nec minorem sibi ferrum vindicat laudem in negotio tuendæ sanitatis. An ad civiles usus, an ad sanitatem conferat magis utilissimum illud naturæ donum non facilè dixeris. Fatiscentem fibrarum tonum erigit, tollit infarctus, abnormes sistit liquidorum effluxus, lentos dividit humores, crassos incidit, tenuiores cogit, vias stringit patentiores, occlusas referat, robur ventriculo cæterisque visceribus conciliat. Vires autem suas imprimis exercet ferrum, cùm solventis acidi ope salis formam obtinuit. Hinc felici adeò cum successu usurpantur tincturæ Martis, Tartarum Martiatum solubile, sal Martis Riverii: quæ totidem sunt verè heroica remedia, sive ad propulsandos, sive ad præcavendos plures chronicos affectus. Verùm enim verò si tantùm valeant sales Martiales arte facti, quid non proderit elaboratum à naturâ ferri vitriolum Aquis novis Mineralibus Passiacis contentum. Tantò sanè magis omnia Martis præparata antecellit, quantò subtilius volatiliusque acidum recondit. Ipse enim est *spiritus sulphureus volatilis Stahlii*, non oleum vulgare vitrioli ponderosissimum; subtilissimus vapor est omnia pervadens, Martem suis alis, ut ita loquar, deferens, ipsumque in minutissimos quosque ductus insinuans. Cogitantibus jam innotescit quàm non iniquo jure inter non negligenda sanitatis præsidia reponantur Aquæ Novæ Passiacæ. Nam præter communes aquæ vulgaris quas retinent virtutes, mox enarratas salis communis, salis Glauberiani, volatilisque Martis vitrioli dotes medicas sinu gerunt. Quibus profectò aptiùs nihil excogitari potest ut omnes functiones feliciter peragantur; quid enim istud meliùs & efficaciùs præstare valet, quàm aquæ leni salino stimulo armatæ, quæ copioso suo liquido diluunt humores, attenuant, & ad motum aptos reddunt; salinis autem aciebus viscida dissolvunt, & ad id canales sollicitant ut fortiùs & crebriùs intùs contentam molem premant atque protrudant. Minimè etiam spernenda virtus est quam ab alkalinâ terrâ mutuantur aquæ nostræ. Inde enim absorbentium more combibendis acidis liquoribus in hypochondriacorum ventriculo genitis perquàm idoneæ sunt. Pariter *Selenites* quàm aquæ novæ Passiacæ solutam tenent, easdem fibris quas præterfluendo lambunt, sollicitandis aptas, sicque fovendo sanguinis motui progressivo, necnon promovendis excretionibus pares efficit.

V.

AQUÆ igitur novæ Minerales Passiacæ plurimi faciendæ sunt à medicis quoties debitum fibrarum tonum tueri, expeditum liquidorum per vasa motum fovere,

excretiones & fecretiones omnis generis promovere, fanguini fluorem conciliare, appetitum excitare, ciborum concoctionem juvare, fenfus reddere acutiores, impedimenta circulationis removere, imminentes denique morbos in cunis jugulare intendunt. Quòd non ita tamen eft intelligendum, quafi aquarum noftrarum potui obligare fe homines fanos & benevalentes jubeamus. Summum ipfis efto & unicum adversùs morbos præfidium, genus vitæ varium, legitimufque fex rerum non naturalium ufus. Verùm ubi fractæ adhucdum à morbo vires, languidaque & debilis fibrarum contractio humorum ftagnationi & evolutioni locum præbent, morbofque portendunt quos vocant fuccedaneos. Tunc ignem cineri fuppofitum dolofo non fuffocabis meliùs penitufque reftingues, quàm liberali aquarum vici Pafliaci recentiorum hauftu. Hinc recreandis omnibus ferè convalefcentibus conveniunt nobiles hujufmodi lymphæ. Sæpiffime evenit ut Afthma aut Empyema Pleuritidem & Peripneumoniam excipiant, Quartanam hydrops, obftructiones Hepatis Lienis Pancreatis Mefenterii Afcites, Apoplexiam Paralyfis, Hæmopthifim Phthifis, Afthma hydrops pectoris, febres intermittentes malum hypocondriacum, alvi fluxum Tabes. His malis omnibus feliciffime occurres, fi relictam à priore morbo debilitatem fibrarum, humorumque lentorem fontium Paffiacorum potu caftigaveris. Sed quantacumque fit Acidularum quas commendamus excellentia, in iis potandis modus obfervandus eft. Ut enim non medicamenta modò fed & alimenta nullo ordine modoque, & alieno tempore ingefta damni multùm, commodi nihil afferre folent; ita & aquæ novæ Paffiacæ, nifi certo anni tempore, certâque diei horâ, modo & quantitate convenienti, corpore bene ex confilio periti medici præparato bibantur, morbos potiùs valent arceffere quàm arcere. Equidem pro variis fubjectorum temperamento, ætate, viribus, morbis diverfimode à medicis inftituendus aquarum noftrarum potus. Quædam tamen circa hanc rem regulæ generales ftatui poffunt, quarum præcipuæ funt. Ut quantùm licet ad ipfam fcaturiginem bibantur aquæ, ut jejuno ventriculo & fummo manè hauriantur, ut à *Depuratis* aquarum incipiatur potatio, dein ex quarto fonte hauriantur, ficque fiat fenfim ad primum ufque fontem progreffus modò id morbus exegerit; ut primùm parvis hauftibus & ad duas tantùm libras affumantur; ut de die in diem numerofiores & largiores hauftus ingerantur; ut à cibis crudis, duris, craffis, falfis, fumo induratis & facilè putrefcentibus abftineatur; ut cibus elapfis duabus ad minimum à finitâ potatione horis fumatur; ut coena fit parcior; ut moderate corpus exerceatur; ut à frigore nimio, à calore immodico, à fudoribus, ab aëre vefpertino, à fomno diurno, à triftibus animi affectibus, à Baccho & Venere immoderatis caveatur. Hæc fi fcrupulosè obfervaveris, nullæ non funt ab aquis noftris fperandæ utilitates. Felices ergo nimiùm fua fi bona norintLutetiæ cives; facilè jam carerent aquis Forgienfibus, Spadanis, Vichienfibus, aliifque bene multis, meritâ fanè laude non defraudandis, incolifque locorum in quibus fcaturiunt plurimùm commendandis, fed ære multo minimùm conquirendis, cùm facilè parabiles viribufque non inferiores fponte nobis offerat benigna parens natura.

Ergo ut fanandis, fic & præcavendis pluribus Morbis Aquæ novæ Minerales Paffiacæ.

Proponebat Parifiis FRANCISCUS - NICOLAUS GAUTIER DU ROCHER, Parifinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parifienfis Baccalaureus, A. R. S. H. 1743, à fextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerfitatis & Facultatis Medicinæ Parifienfis Typographi, 1743.